



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 48. Gallorum Victoriæ in Belgio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

consilium suum exequatur; duodecim
 enim Helvetiorum millia Seguinei ca- Sæcul. XVI.
A.C. 1521.
 stris instant, ea everfuri. Igitur Gallo-
 rum suppetiæ hanc rerum vicissitudi-
 nem in rem suam vertentes urbem præ-
 sidio vacuam ingrediebantur, quo com-
 perto Nassovius obsidione soluta ad Na-
 murcensem Comitatum sese recepit.

§. XLVIII.

Gallorum victoriæ in Belgio.

Paulo post S. Pauli Comes Musomum
 recuperavit, ac tota demum Cam-
 pania hostili exercitu purgata Francis-
 cus I. copias suas in Belgium duxit, u-
 bi Cæsarei Tornacum assidua obsidione
 premebant. Præprimis Vindocinensis
 Dux Balmam, Landrecium, & Bunium
 urbes toto unoque impetu aggressus
 est, captasque solo æquavit: Cum ve-
 ro Cæsar exercitum suum ad Valentia-
 nas duceret, Rex strenue hostem suum
 insequi atque ad prælium provocare sta-
 tuit; ad id tamen obtinendum oportebat
 superare Scaldim, quam ob rem
 Rex quantocius Comiti S. Pauli nego-
 tium dedit, ea parte, quæ Bunio subja-
 cet, flumen ponte jungeret. Hujus
 consilii executionem, ut impediret Nas-
 sovix Comes, nulla mora accurrebat,
 mille ducentis peditibus, ac duobus mil-
 libus

Sæcul. XVI libus equitum stipatus. Verum Nassoviensem prævenit Comitis solertia; A. C. 1521. quapropter ille toto, quod adhibuit, studio plus efficere non potuit, quam ut reliquam Gallici exercitus partem transitu prohiberet, demum vero ipsemet haud parum sollicitus erat, quomodo exercitum suum subduceret, cum is nonnisi tertia leuca a Gallorum occursum distaret. Hoc autem ut eluctaretur periculum, octingentos præmisit equites, dato negotio, ut eo in loco, qui Comiti S. Pauli vicinior esset, aciem latius distenderent, ibique firmo pede persisterent, donec peditum agmina castra movissent.

§. XLIX.

Cæsareos profligandi occasio a Francisco Rege neglecta.

Sub idem tempus Borbonius Constabilis quosdam Tribunos exploratum misit, qui eidem nunciabant, hostem motis castris aufugere. Ergo habito mox belli Senatu decretum, ut primum Gallorum agmen sese in octingentos illos Cæsaris equites effunderet, eorum peditibus a tergo instaret, & tamdiu fugientium iter præpediret, donec media simul ac postrema Gallici exercitus acies suppetias venisset. Hæc eadem